

VOTIES dona aut bona mundi confidero, toties hilaresco & obstupesco: jure merito, si dona humi & hominis altiùs pensito, non potest fieri, quin obmutescam. Præsertim quando singula diduco, rimor, & ruminor. Quocunq; oculos animumque converto, miror, quòd hæc tam mira, tam multa creavit & fecerit Maximus ille & creata facta etiam nunc dirigat ac conservet. Ah bone, quæ mens inest multis, quæ memoria sic capax, sic adservans, quæ ratio subtiliter colligens & concludens: quod ex omnibus judicium dirigens & decidens; quantam congeriem vna cogitatione complectitur, quam seriem, quem ordinem; hisce neque mens, neque, manus exprimendis. Cum primis mecum examinavi, libravi, sedi ad judicij calculos, disposui, subduxi; obstupui, libra deliberationis se eò divergit, vt negans pars major visa, nec minor esset habita. Insuper & multa concurrunt, ac interveniunt, quæ non finunt me arbitrij mei & spontis: sive loci amplitudo, sive audientium dignitas, magna lectissimorum hominum frequentia sive ipsa dissertationis materia spectetur, scio hic viros à natura excellentibus ingenijs præditos, à longinquis peregrinationibus politos diuturno omnium rerum usu præstantes. Mallem ergo audire virum Mathematicum, virum politum polypum ac lima judicij expolitum; qui distantias locorum novisset, & cujusque soli longitudinem & latitudinem cognovisset, qui, inquam, res multas, res varias inspexisset indagasset, & vndique aliquid novi hausisset. Mallem denique audire ejusmodi virum, qui terram omnem & mare circulatus fuerit, omnem rem ex asse & ad amussim pervestigaverit, & quicquid